Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

José Teixeira

Historia || DE BELLO AFRICANO:|| In quo || SEBASTIANVS,|| SERENISSIMVS POR=||tugalliae Rex, perijt ad diem 4. Aug.|| Anno 1578.|| Vnà cum || GENEALOGIA || REGVM PORTVGALLIAE, HI-||SPANIAE, ET AFRICAE || occidentalis.|| Ex Lusitano sermone primò in Galli || cum: inde in Latinum || translata || PER IOANNEM THOMAM || FREIGIVM D.||

Rostock: Ferber, Augustin d.Ä., 1581

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697650066

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

b
50.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1697650066/phys_0001

Rb - 4350

411

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697650066/phys_0002

Historia
DE BELLO AFRICANO:
In quo
SEBASTIANVS,
SERENISSIMVS PORtugalliæ Rex, perijt ad diem 4. Aug. Anno 1578.

Vnà cum
GENEALOGIA
REGVM PORTVGALLIÆ, HISPANIÆ, ET AFRICÆ occidentalis.

Ex Lusitano sermone primò in Gallicum: inde in Latinum translata

PER IOANNEM THOMAM FREIGIVM D.

OSTOCHII Excudebat Augustinus Ferberus.
Anno M. D. LXXXI.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis
Ref. B. 6010 — 10.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1697650066/phys_0005

GENEALOGIA
REGVM FESÆ ET MARO C.
in Africa.

XARIPHIVS MVLEIV.
stirps huius familiæ, ex Mecha Arabiæ Felicis oriundus.

Xequus Mahometus Muleius.

ABDALLAS exclusis fratribus Regnum solus tenuit.

Abdelmunen à fratre Abdallà interfectus.

ABDELMELECH, cui Sebastianus Portugalliæ Rex bellum inferens anno 1578. die 4. Augusti in prælio cæsus est.

HAMET fratri, durante prælio, apoplexia extincto, in victoria & regno successit

MAHOMETVS à patruo Abdelmelecho pulsus, petit auxilia à Sebastiano rege Portugalliæ. submersus in fuga. die 4. Augusti 1578.

Ismael

Xequus.

HISTORIÆ
DE CAEDE SEBASTIANI, REGIS LVSITANIÆ.

CAPVT I.

De ortu & familia Regum Mauritaniæ, quam hodie Barbariam vocant: & de causis belli per Sebastianum Regem suscepti.

AVtor familiæ, quæ inter Barbaros hodie regium decus tuetur, & primus in eadem Rex, fuit Maurus quidam Mahometanæ religionis, nomine Mulejus Mahametus Xequus. Huius pater Muleius Xarifius, cum in patria Mecha, Maurorum princeps (vtpote ex damnati & execrandi pseudoprophetæ Mahometi sanguine & stirpe ortum ducens) haberetur, immensam vim pecuniæ & thesauros ingentes accumulauit. Is somnio nescio quo motus, occasionem è sua patria & familia demigrandi, & se vnà cum suis rebus in Africam conferendi arripuit. Itaq; vt, quod secum constituerat, in effectum deduceret: Mecha, cum vnico, quem modo ximus, filio egressus: & tota Ægypto, Africaq;, sq; regionibus Turcico imperio subiectis, peragra-

tis: venit in eam Mauritaniæ regionem, quam hodie regnum Susorum appellant. Hic igitur Muleius Xarifius, cum inter Barbaros Mauros magnam (quod ad sectam & religionem ipsorum attinet) sapientiæ opinionem consecutus, & per prouincias Mahometico dogmate pollutas, insignem famam adeptus esset: gratiam quoq; & fauorem Alarbum (qui in Barbaria ista degunt) nactus est: in primis verò eorum qui regnum Susorum incolunt. Hinc accidit, vt breui temporis spacio mille circiter clientes equites consecutus sit: vt taceam magnum numerum ambactorum & seruorum, qui cum sequebantur, & equis armisq; iuuabant. Horum & aliorum plurium, qui postea se illi adiunxerunt, auxilio, aliquot vrbes eius regni occupauit & suo imperio subiecit. In omnibus verò expeditionibus filium suum Muleium Mahametum Xequum circumduxit, vt populi bello superati in verba eius iurarent, & se, quæ fideles subditi dominis suis præstare consuessent, facturos promitterent. Et quidem vterq;, pater & filius rerum suarum ita satagere soliti sunt, vt breui temporis spacio eas opes & vires acquisiuerint, vt Turodantum regni Susiani caput vi ceperint, ibiq; filius Xequus prouinciæ illius Rex constitutus sit. Hæc victoria noui regis potentiam & animum maximoperè auxit. Itaque ordinariam validamq; legionem octo millium hastatorum instituit, ea mente vt ciuitatem Marocum, cui tum Marini imperitabant, tentaret. Quamobrem relicto Susis patre, qui iam senecta fractus rebus gerendis inutilis euaserat. Marocum obsidio-

cin

cinxit, quingentis sclopetarijs & hastatorum septem millibus secum adductis. Duodecimo die vrbem deditione cepit: occupatisq; alijs vrbibus & castellis Maroco vicinis, nomen & titulum Regis Susorum & Maroci sibi desumsit. Paucis diebus pòst, ingenti exercitu coacto, obsedit vrbem Fessanam, quam nemine resistente, solo ingentis exercitus terrore cepit: rege eius (qui Claudi nomen habebat) fuga sibi consulente, & in vrbem Tremissanam (quæ eius imperio tum parebat, Turcicis armis adhuc intacta) se recipiente: in qua etiam breue tempus vitæ, quod illi superfuit, cosumsit. Xequus autem quam primùm Fessanus Rex est designatus, omnes eius regni vrbes & pagi in verba eius iurarunt, & fidei eius se commiserunt: idemq; aliæ vicinæ gentes fecerunt, vltrò se illi subijcientes, & victoriam sine sudore & sanguine tradentes. Limites autem & termini regni illius sunt, ab Oriente Tremissa (quæ hodie Turcis paret) & vltra montis Atlantis (qui hodie Clarius dicitur) iuga, versus meridiem linea, quæ per prouinciam Figigam obliquè vsq; ad Zaharam (vrbem à rege Lusitaniæ captam) & hinc versus occidentem, quadraginta leucarum spacio litoribus maris Atlantici seu Oceani, respiciens insulas Fortunatas (quas hodie Canarias vocant) tendit. Ab occidente litora & promontoria Agueiij, Casi, Azamoræ, Salæ, Larissæ, Letuanis, omnes vrbes regni illius limitaneæ, vsq; ad fretum Herculeum, versus Ceutam, Penonem & Melillam (quas hodie Catholicus Hispaniæ Rex possidet) & hinc Tremissam vsq. Toti huic regioni longè lateq;

Muleius Mahametus Xequus imperitabat, & patre paulò pòst mortuo solus imperium tenuit, fuitq; primus ex illa familia Mauritanorum Rex.

CAP. II.

De Lege quam in procerum concilio Muleius Mahametus de successione suorum filiorum & regni inter eos post mortem suam diuisione sanxit.

MVleius Mahametus cum postea summo in otio & tranquillitate multos annos regnasset, cupereteq; vt regnis à se partis filij pacificè vti frui possent: prouecta iam ætate & annis grauis, constituit principes ac satrapas prouinciarũ sibi subiectarum conuocare, vt ipsorum potissimum consilio de successione liberorum suorum maturius & prudentius statueret. Etsi autem magnum eorum numerum habuit tam legitimorum quàm naturalium: de illis tamen duntaxat hìc sermo à nobis instituetur, qui eius regni turbarum & tumultuum causa extiterunt: qui quidem numero quatuor fuerunt. E quibus maximus natu, legitimo coniugio ortus, dictus fuit Muleius Abdallas: secundus & vltimus è legitimis appellati fuerunt Muleius Abdelmuncn & Muleius Abdelmelecus: vltimus & minimus natu omnium, nothus erat, nomine Muleius Hametus. qui hodie

regnum

regnum obtinet. Cum itaq; ad concilium regni proceres in ciuitate Marocenſe (quæ regis ſedes erat) conueniſſent: & rex negotium in conuentu principum propoſuiſſet: conſentientibus ſuffragiis decretum factum eſt, vt filij regis ſibi inuicem ſecundum ætatis gradus ſuccederent, vt ita ad omnes jus regni peruueniret, & diſſidiorum contentionumq; occaſio omnis tolleretur. Hoc decretum per principes factum, Rex amplexus eſt, & ſua autoritate confirmatum, juſſit inuiolabile ad poſteros ſeruari: tantumq; perfecit, vt principes, & primores regni jurarent ſe operam daturos, vt id ratum in perpetuum permaneret. Nec verò principes tantùm, ſed & regij liberi idem jurarunt: nemo enim erat qui huic legi refragaretur, aut in contrariam ſententiam iret. Quamobrem factum eſt, vt Muleius Abdallas (quod maximus natu è filijs regis eſſet) ſtatim in caſtris princeps & hæres omnium paternorum regnorum nominatus fuerit, omneſq; in eius verba & obſequium jurarint. His rebus ſic conſtitutis, cum Rex vetulus pro ſua conſuetudine in Marocenſe vrbe ſe teneret, nouum principem ad Feſſani regni adminiſtrationem, petentibus id alioqui prouincia illius hominibus, dimiſit. Hic cum Feſſam peruenisſet, & à ciuibus comiter exceptus eſſet: prouinciæ illius adminiſtrationem leniter & humaniter auſpicatus eſt, blandum & comem prouinciæ eius incolis ſe præbens, & multò leniora humanioraq; in poſterum promittens. Diebus aliquot pòſt rege Muleio Mahameto Xequo in ſumma pace florente, contigit in

eius prouincia tumultus, qui eum coëgit exercitum colligere & insolescentes reprimere. Omnibus ad eam rem necessarijs comparatis, egressus Maroco cum multis equitibus & peditibus sclopetarijs, Susa versus perrexit. Cæterùm paucis diebus ante, quingenti Turcæ Tremissa aduenerant cum duce suo (quem lingua sua vocant Alcaidam) qui se è præsidio Tremissano fugisse simulabant: sed re vera id agebant, vt Regem Marocensem (id quod accidit) è medio tollerent. Nam cum Marocum venissent, Rex, qui eos ad suppetias sibi ferendas adesse putaret, jussit vt statim stipendium illis numeraretur, seq; ad bellum Susianum sequerentur. Illi cum rege egressi, magnoq; itinere eum Susa versus comitati: in limitibus duorum illorum regnorum, consilia interficiendi ipsius accelerarunt. Itaq; cum se nescio quid ad regem referre velle simularent, ex promtissimis audacissimisq; quibusq; circiter quindecim aut viginti prætorium ingressi, regem (quem insidijs opportunum nacti erant) occiderunt, mortuoq; caput præciderunt. Res tam repentina, inopinataq;, inter Turcos & Mauros (quorum illi Turcici Imperatoris, hi Muleij Abdallæ rebus studebant) ingentem tumultum in castris excitauit: deuenitq; res tandem eò, vt intra horæ spacium plus quàm mille Mauris occisis, non plus quàm quinquaginta è Turcis occubuerint. Qui cum se summa vi vrgeri à Mauris cernerent, propugnando & se defendendo in syluas densissimas & cautes montium asperrimas se receperunt. Sed cum & illic à Mauris oppugnarentur, frustraq; se niti

niti & defensionem parare animaduerterent: & ipsos commeatus etiam deficere iam inciperet: septem cados tormentarij pulueris sibi circumpositos incenderunt, miserabili incendio se potius perdere, quam in manus hostium Maurorum venire volentes.

Cæterùm & regius exercitus Marocum reuerti coactus est, vbi princeps Muleius Abdallas (etsi is tum in vrbe Fessana erat) denuò rex renunciatus est. Sed is quàm primùm de morte patris resciuit, Fessa egressus est: cumq; se regem ferret, nulla prouincia fuit, quæ eum libenti animo non exciperet. Itaq; hac de causa paucis diebus pòst, ingentem exercitum plurimarum nationum (quæ suam operam illi deferebant) contraxit: cum quo Marocum progressus, à ciuibus summa cum lætitia, honore & gratulatione est exceptus. Nam & viuente adhuc patre subditorum suorum amorem ac beneuolentiam singularem senserat, & eandem postea quoq; eo mortuo sensit: quòd quam diu vixit, nihil aliud nisi aurcam pacem ac suorum populorum tranquillitatem spectare, eosq; sine omni maleficio felices & beatos conseruare satageret. Qua de causa tantum opum ac diuitiarum, quantum eorum regum qui ante ipsum vixerunt, vix alius quisquam collegit. Ita Abdallas solus regnauit annos aliquot, sedemq; regiam habuit alternis, vno anno in Fessana vrbe, duobus in Marocense, donec eum sibi successorem & hæredem designauit, de quo mox plura dicemus.

CAP. III.

De Muleio Abdalla, qui conatus est suos fratres interficere, vt sibi in regno succederet filius Mahametus: ideoq; tribus fratribus occisis, cæteriſq; fuga elapsis, filium suum regni successorem nominauit.

HISTORIA BELLI.

CVm Abdallas longo tempore in summa tranquillitate regnum administrasset, solusq;, nemine impediente, imperio & summa potestate vsus esset: legem, quam pater cum regni proceribus promulgarat, qua filij per ætatis ordinem deinceps à maximo natu vsq; ad minimum ad regni successionem vocabantur, tollere & antiquare secum constituit. Et quanquam Abdallas hæc consilia cum familiaribus, quibus plurimum fidei habebat, clam & secretò coquebat: nihilominus tamen res tandem fratribus innotuit: quorum aliqui de vita sua soliciti, & ne insidiæ sibi struerentur timentes, regno excesserunt, vt Abdelmunen & Abdelmelecus, qui non sine ingenti periculo, quod illis à fratris Abdallæ seruis insidiantibus in itinere immincbat, Tremissam perfugeruut. Illic appulsi, comiter à Turcis, vt regij sanguinis adolescentes, excepti sunt: pauloq; post

Arge-

Argeliam, vt ibi sub Imperatoris Turcici tutela tutius degere possent, se receperunt. Muleius Abdallas, cum (vt diximus) secretò cædem fratrum suorum agitaret, vt suis liberis regnum tutò tradere posset, audiretq; illos fuga sibi salutem quæsiuisse: dissimulato suo stomacho (magnam enim ex ipsorum fuga molestiam capiebat) ne reliqui fratres eodem metu percellerentur, sine mora omnes suas copias coëgit, eo prætextu, quasi ad vrbem Fessanam ire cogitaret. Itaq; positis primò ante vrbem Marocum castris, & his paulò post motis, quasi Fessam iturus, cum audisset suos fratres ad se visendum venire: relicto minimo fratre (cuius puerilem ætatem contemnebat) expectauit eos itinere quatuor ab vrbe Fessana dierum. Cum itaq; conuenissent, interq; se consalutassent: accidit vt paulò pòst nihil mali suspicantes, nihilq; insidiarum metuentes, immani crudelitate omnes tres in tentorijs suis decollati sint. Quæ res animos Abdallæ subditorum non leuiter pupugit, sed summo dolore affecit, quem tamen dissimulare coacti sunt. Hoc tam tragico facinore patrato, Fessanum iter confecit, eo animo vt Muleium Mahametum filium suum principem & vnicum regnorum suorum hæredem Fessanis obtruderet, illosq; in ipsius verba jurare cogeret. Nam etsi alios quoq; liberos, & quidem imperio digniores, haberet: tamen & quia hic natu maximus esset, & eius rei alias quoq; causas haberet, eum sibi potissimum successorem optabat. Itaq; quàm primùm Fessam venit, principum regni concilio coacto rem eò deduxit, vt fi-

vt filio fidem dederint & in eius verba jurarint: magis metu coacti, quam amore aut beneuolentia erga principem, aut jure eius, quod in regno prætendere posset, adducti. His confectis, cum rem pro suo voto sibi succesisse videret: vt deinceps in tranquillo otio, prope jam ætate fractus, degere posset, Marocum cum exercitu rediit, relicto in vrbe Fessana filio, vt eam prouinciam suis auspicijs gubernaret.

CAP. IV.

De maximo natu ex filijs Xequi fugitiuis per insidias trucidato, deq; gratia qua alter in Imperatoris Turcici aula floruit: deniq; de morte Muleij Abdallæ & filij eius Mahameti successione.

HOC rerum statu in Barbaria existente, cum duo fratres, ad euitandum fratris Muleij Abdallæ furorem, se Argeliam contulissent:: accidit vt minimus ex illis natu Muleius Abdelmelecus Constantinopolim iret. Is in ea vrbe, tali dexteritate arma tam mari quàm terra tractauit, vt cum magnanimus, fortisq;, & corporis viribus præstans esset, in sui amorem plerosq; pelliceret; per res strenuè gestas, victoriasq; de hoste partas, magni nominis famam non solùm apud populum, sed & apud ipsum Turcarum principem consequeretur. Quæ res &

sum-

summam illi gratiam, honoremq; beneuolentiæ plenum, conciliauit: & opes immensas peperit. Vt taceam quibus quantisq; promissis eum Turcicus Imperator onerauerit, quantamq; spem illi fecerit de reducendo ipso in paternum regnum, è quo fratris injuria depulsus fuerat. Cæterum Muleius Abdelmunen, qui se Argeliæ tenebat, adeò simplici ingenio fuit, vt fratris Abdallæ persuasu Tremissam redierit: quò Mulcius Mahametus tres sicarios submiserat, qui eum de medio tollerent. Quæ res sane ex voto illi successit. Nam cum illi sicarij Tremissam venissent, ita Abdelmuni oculos adiecerunt, vt eum die quodam Veneris in templo precantem, sagitta sauciarint: quo vulnere biduo pòst, nullo insidiarum sceleriscq; autore cognito, mortuus est. Abdelmelecus postquam Constantinopoli de fratris morte cognouit, summo dolore affectus fuit. Quæ causa fuit, vt Solymannus, Turcicus Imperator, ad regnum suum recuperandum suppetias ipsi promitteret. Sed quò minus id promissum conficeretur, obstitit mors Sultani Solimanni, quæ paulò pòst secuta est. Cæterum cum ad imperium peruenisset Sultanus Amurathes (qui hodie Turcis imperat) Abdelmelecus plus gratiæ & fidei, quam vnquam antea, obtinuit. Circa idem tempus Muleius Abdallas morbo correptus, cum eius vim ferre non posset, triduo pòst in vrbe Marocense mortuus est. Decessus eius per triduum occultatus fuit, vt interea Muleius Mahametus (qui qui tum in vrbe Fessana erat) certior fieret de patris morte: neue patrui eius, si prius de morte fratris

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697650066/phys_0017

tris Abdallæ cognouissent, Marocensis vrbis (in cuius possessione regni summa consistebat) principes se ferrent. Cæterùm duos fratres Mahameti, etsi juniores ipso, maiore tamen beneuolentia subditi persequebantur. Is itaq; cum de morte patris nuncium accepisset, statim se regni Fessani regem pronunciari jussit: & sine mora cum copijs egressus, Marocum totius regni caput & metropolim peruenit: ibiq; inuito licet populo, regiam dignitatem assumsit, nemine resistente aut impediente, excepto solo fratre Muleio Banacare: quem tamen mox regio solio occupato, vita priuauit. Alterum verò fratrem Muleium Hazarem in carcerem coniecit: missitq; certos homines, qui patruum omnium natu minimum (qui tum Tastileti degebat) trucidarent. Sed is intellectis insidijs, fuga sibi salutem quæsiuit, Tremissamq; cum regia supellectile se contulit. Ita manibus sicariorum elapsus, viam ad regnum sibi aperuit. Est enim ille ipse qui hodie regium decus apud Barbaros obtinet, nomine Muleius Hametus.

CAP. V.

De Muleio Abdelmeleco, qui cum in Turcia de morte Abdallæ fratris, & occupato per fratris filium regno inaudisset: Tremissam cum magnis copijs, per Turcicum Imperatorem suppeditatis venit, & fratris filium deuicit.

Mors

MOrs Abdallæ & reliqua quæ in Mauritania acciderant, citò in Turciam allata sunt: cumq; Muleius Mahametus ea, quæ ad regni sui statum stabiliendum necessaria sibi videbantur, summa diligentia constituisset: eodem tempore Abdelmelecus eam adhibuit diligentiam, vt paucis diebus Argeliam cum mandatis Turcici Imp. perueniret, quibus continebatur, vt duces quæ necessaria ad bellum essent, ipsi suppeditarent: statimq; paratos & in procinctu habuit quinquies mille sclopetarios, tam Turcos quam Azuagas, viros bellaces, & in re militari armisq; perexercitatos. Cum his perrexit Tremissam, assumto in itinere Alarbum equitatu tanto, quantum consequi & colligere potuit. Tremissam vbi peruenit, per honorificè est exceptus, ibiq; vt ad bellum necessaria compararet, sex diebus substitit: cumq; fratre juniore Hameto illic inuento, duodecim hastatorum millia & quadringentos equites sclopetarios, strenuos & electos milites coegit: sumsitq; secum Tremissa XII. campestria tormenta, vna cum commeatu & munitionibus reliquis. His copijs instructus, ad vrbem Fessanam occupandam perrexit. Muleius verò Mahametus (qui tum Maroci erat) etsi de conatibus patrui certior fiebat: ita tamen eum contemnebat, eiusq; copias præ sua (quam putabat) potentia despiciebat, vt nulla eius rei cura tangeretur, donec seriam rem agi cerneret, & Abdelmelecum suas copias Tremissæ jam coëgisse cognosceret. Itaq; tum festinanter & tumultuariè contractis copijs, interuallo vnius leucæ seu bis mille pas-

le passuum à Maroco castra posuit, jussitq; omnes regnorum suorum subditos conuenire, rumore sparso, quasi Christianos Tingitanos adoriri vellet, vt hoc illectamento alacrius ad arma concurrerent, cum Barbari nullum belli genus magis exoptent, quam quod contra Christiani nominis homines geri solet. His copijs paratis & tormentis instructis, agmen versus regnum Fessanum progredi jussit: & quoniam maior pars copiarum in itinere se illi coniunxerat, quam primum Fessam peruenit, exercitum lustrauit, qui tum constabat octoginta millibus peditum sclopetariorum, & quatuor millibus equitum, cum triginta sex tormentis campestribus. Eo ipso momento, quo Mahametus exercitum contra Abdalmelecum educebat, nobilis quidam legatus à Sebastiano Lusitaniæ rege, qui illi nomine regiæ maiestatis auxilium contra Turcas & patruum promitteret, ad eum peruenit. Sed Mahametus, quòd tantum tamq; fortem exercitum sibi obedire cerneret, superbior factus: Lusitani regis beneficium contempsit. Itaq; cum patruum Tremissa jam egressum comperisset, eo ardore contra eum perrexit, vt duo exercitus vtriusq; inter Fessam & Tremissam sibi occurrerint a. d. XVII. mensis Martij, anno M. D. LXXV. Prælium commissum est circa vesperam, durauitq; furiosa eius tempestas tam diu, donec Mahameti exercitus animo pariter & corpore defatigatus terga daret. Eius fugæ culpa Dogali cuidam asscribitur, qui cum dux Andalusiorum esset, cum bis mille sclopetarijs lectissimis à Mahameto ad Ab-

ad Abdelmelecum defecit. Quod cum Mahametus (qui mille passuum spacio inde post principia sibi cauens & currui insistens, pugnam eminus spectabat) animaduertisset: timeretq; ne idem exemplum cæteri duces secuti, se quoq; cum aduersarijs coniungerent: è tabernaculo suo statim se proripuit, & cum quingentis equitibus Marocum celeri cursu contendit: militibus hostium furori, thesauris autem omnibus & opibus suis prædæ relictis. Ita Abdelmelecus sine multo vtriusq; partis sudore & sanguine victoriam obtinuit: & certè decima parte sui exercitus Mahametus Abdelmeleci copias facilè fundere & delere potuisset. Abdelmelecus verò tam præclara victoria potitus, satis magnam manum misit, quæ Mahametum fugientem insequerentur & in potestatem redigerent: ipse verò à Fessanis magna lætitia exceptus, & ab ijs (vt & à cæteris eius regni vrbibus ac oppidis) rex est pronunciatus. Et quoniam febre correptus, afflicta aliquantulum valetudine erat, Fessana in vrbe aliquantisper quiescere decreuit, & Turcarum copias, qui sub duce Rahadono, regis Argeliani Bassa, aduenerant, illic exautorare. Is enim hoc in mandatis duntaxat habebat, vt Abdelmelecum Fessam comitatus, in possessionem regni eum immitteret. Ita Abdelmelecus Turcas omnes à se dimisit exceptis paucis, qui abeuntibus socijs se occultarant, vt nouo regi gratificarentur, seq; ei subijcerent, qui erant numero mille & quingenti, omnes strenui & fortes viri. Verum vt ad Muleium Mahametum reuertamur: quàm primum is Ma-

rocum peruenit, bellum renouare, ex omnibus regni partibus milites cogere, apertis thesauris duces sibi conciliare ac milites remunerari, omnes verò sibi donis diligentius quàm vnquam antea adiungere cœpit: id spectans vnum, ignominiam a patruo inustam, praclara aliqua victoria elueret & compensaret. Itaq ea accuratione & diligentia perfecit, vt decem millia sclopetariorum peditum & mille equites, quanquam tyrones, contraxerit: & hoc amplius triginta millia equitum hastas & scuta ferentium. Quas copias cum viginti quatuor campestribus tormentis in castra eduxit: commeatus verò quantum necesse ad eam profectionem erat, comparauit. Accidit autem vt & in hoc secundo delectu rex Lusitaniæ ad ipsum cum literis legatum denuò miserit, denuoq; auxilia contra Abdelmelecum patruum obtulerit. Sed idem huic secundo legato, quod primo illi, respondit: nisi quod totum exercitum lustratione instituta in legati conspectu traduxit, vt intelligeret Hispanus, nihil sibi Lusitanis auxilijs opus esse. Abdelmelecus cum Fessæ ex morbo se aliquantulum collegisset, & exercitum suum accessione sexies mille sclopetariorum, qui à Mahameto transfugerant, post abitum Turcicarum copiarum (vt diximus) auxisset: exercitum eduxit eo animo vt Marocum versus contenderet. Audierat enim Mahametum cum ingentibus copijs sub signis esse. Itaq; supra dicta sex millia sclopetariorum & viginti millia equitum hastis & scutis armatorum, & duo millia Argeliorum, vna cum viginti tormentis campestribus secum raptans

ptans,& quia jam meliusculè habere incipiebat, lectica delatus : Marocum versus ire perrexit. Contra Mahametus de proposito patrui certior factus,cum copijs quas supra diximus, Maroco summa festinatione & cupiditate dimicandi, proq; regni jure vel cum vitæ periculo decertandi, celerrime egressus est. Et quoniam narratio de acierum ordine & instructione, qua vterq; vsus est, ad rem quam nobis propositam habemus,nihil admodum facit:breui totam historiam complectemur. Itaq; in valle quadam tribus à Sala leucis occasum versus distante, secundum maris litora, in loco qui Motha Arrajahana dicitur,castra posuerunt: vbi a. d. 29. Iunij tertia pomeridiana hora commissum est prælium atrox & cruentum, in quo modò in Mahameti, modò in Abdelmeleci, partem victoria inclinabat. Sed Abdelmelecus dux prudens & peritus, cum noctem instare, suosq; quamuis omni conatu totisq; viribus jamdiu incumbentes, victoriam consequi non posse, aduersarios q; fortiter resistere cerneret: è media cohorte sua egressus, dextraq; acinacem vibrans, milites suos ad redintegrandum prælium crebris ictibus compellebat: ipseq; inter primos visus,tanta vi tantoq; impetu in hostes se intulit, vt eos turpiter terga dare cogeret, è quibus Mahametus primus in fugam se vertit. Victores itaq; edita ingente strage, hoc nouissimo prælio plusquam sex millia occiderunt. Abdelmelecus verò fratrem Hametum ad Mahametum persequendum misit, datis illi aliquot equitibus leuis armaturæ: ipse verò paulisper,dum mor-

tui sepelirentur, commoratus, cum toto exercitu Marocum versus ire perrexit.

CAP. VI.

De Muleio Mahameto è prælio in montem Atlantem fugiente: deq; Abdelmeleci in Vrbem Marocensem regio ingressu & tertia contra Mahametum victoria, qui toties victus se ad regem Lusitaniæ ceu patronum tandem contulit.

MVleius Mahametus admisso equo salutem sibi fuga quærens, Marocum septem aut octo hastatis comitatus, non sine magna suorum infamia peruenit: cumq; palatium ingressus esset, è thesauris suis quantum commode auferre potuit, depromsit & quinq; mulis imposuit: & non vltra duas horas moratus, in fugam se coniecit: patrui turmas, quæ non procul aberant, euadere approperans. Cumq; hoc modo paucis equitibus comitantibus exiisset, laxatis habenis versus montem Atlantem (quem incolæ clarium hodie vocant, quiq; sex leucis Maroco distans, asylum & refugium est proscriptorum, exulum & eius regionis latronum) summa celeritate contendit. Cæterum vt relicto in Atlantis montis jugis Mahameto, ad Abdelmelecum reuertamur: Abdelmelecus quamprimum victricia spolia legit, nulla mora

mora interposita, cum exercitu Marocum perrexit: ibiq; octauo à prælio die appellens, tanta pompa ac lætitia exceptus est, quanta nulla in regionibus illis antea visa fuit. Magnam enim boni, comis, affabilis & erga pauperes calamitososq; pij hominis famam de se excitauerat, eratq; alijs pluribus virtutibus eximiè præditus. Accedebat huc insolentia & tyrannis Muleij Mahameti, quæ Abdelmelecum gratiosum & omnibus charum reddebant. Quam primum vrbem est ingressus (id quod factum est a. d. XV. Iulij anni eiusdem) politicum regni sui statum constituere cepit: vt non modò fortitudine in armis & rebus gerendis se strenuum, sed etiam prudentia in constituenda Reipublica eximium demonstraret. Multas enim leges à maioribus suis latas, multaq; statuta abrogabat: humanitate summa & comitate insigni erga vasallos vtebatur: largitiones etiam ingentes faciebat & congiaria distribuebat: id agens ac spectans vnicè, vt hac ratione famam suam extenderet, & immortalem gloriam supra Reges Africanos, qui ipsum præcesserant, acquireret. Et quanquam ab initio parùm gratiosus erat, præcipuè quod populus importunitate Turcorum, quos secum habebat, offendebatur, quòd hi (vt sunt superbi, impotentes, intolerabiles & exleges) in summa licentia, multis grauibusq; iniurijs & violentijs miseros Mauros afficerent: ita tamen paulatim minutatimq; eos per binos & ternos à se ablegauit, vt ad extremum non plus quàm ducenti remanserint: quos ipsos tamen longè à suo conuictu & conspectu arcebat, & in ordinem coactos

pacificè ac sine noxia agere cogebat. Quæ res effecit, vt subditi in amorem eius conuersi, solaq; virtutis eius fama commoti, se illi humilimè obtulerint, omneſq; debitam obedientiam polliciti sint, ac deniq; ex omnibus prouincijs certatim ingentia splendidaq; munera liberalibus & effusissimis animis attulerint. Erant autem & è Christianis principibus non pauci, qui ex amicitia eius singularem lætitiam capiebant: ipse verò è contra animo beneuolo eosdem in suam amicitiam recipiebat, seq; eorum familiaritate & gratia florentem, felicem, beatumq; putabat: adeò vt quotidie multi Christiani nominis passim & vndiq; in ipsius regnum se conferrent, quos ille plus adamabat, plusq; amplexabatur, quam vllum aliud hominum eas regiones adire solitorum genus. Nam stipes plurimas erogabat, & admirabili eos comitate ac humanitate tractabat. multos etiam sine vllo lytro gratis & inusitata beneficentia liberos dimittebat. Sed in hac ipsius liberalitate & magnificentia diutius immorari nolo, præsertim cum hæc ipsius præclara opera famæ publico præconio per terrarum orbem notissima prædicentur. Cæterum postquam ad regni culmen peruenit, id primum omnium egit, vt successorem in regno sibi designaret, legemq; à patre Muleio Mahameto Xequo latam confirmaret: ideoq; iureiurando obstrinxit, & in fidem fratris sui Muleij Hameti adegit omnes regni proceres: etsi is filium teneræ adhuc ætatis haberet, quem successorem sibi nominare potuisset. Quæ res licet proceres admiratione suspensos tenuit: statim tamen feriæ & triumphi incredi-

credibiles in honorem noui principis & memoriam veteris legis celebrati sunt: & aui Xarifij memoria honorificèper principes vsurpata & interpolata est. Interea Muleius Mahametus, qui se in angustias montis Atlantis receperat, ea pecunia, quam secum Maroco extulit, statim milites aliquos, & inter hos aliquos proscriptos & latrones, colligere cepit: adeò vt ad quingentos sclopetarios & ducentos equites, qui hastis & scutis armati erant, contraxerit. Qua manu instructus rapinas exercuit, obuios spoliauit, & vicos locaq; Atlantis jugis subiecta infestauit, coëgitq; incolas vt ipsum pro domino agnoscerent, ac sibi ceu regi suo tributa penderent. His latrocinijs & excursionibus cum spacio septem aut octo mensium vsus esset, Abdelmelecus coactus est copias contrahere, quarum opera illam insolentiam compesceret, latronesq; illos è latibulis montium depelleret. Ad eam rem expediendam vsus est opera noui principis Muleij Hameti, qui cum copijs ad excursiones faciendas in regno Susiano erat. Is & certis in locis Muleium Mahametum vicit, & manum eius tam pedestrem quàm equestrem penè totam deleuit, coegitq; vt se densissimis & impeditissimis tesquis occultaret: in quibus vltra annum delituit, frigore, niuibus, alijsq; miserijs & cœli inclementia tantum non enectus: & desperatione vitæ, insidiarumq; metu (quas illi patruus magnis propositis præmijs struebat) miserrimè conflictatus. Tandem eò necessitate, durissimo telo, adactus est, vt antea repudiatum fastiditumq; Regis Lusitani auxilium implorare, eumq;

vt ex insidijs & manibus patrui liberatum se, in auitum patriumq; regnum restitueret, rogare coactus sit. Ea de causa è monte Atlante nuncium cum literis ad regem Lusitanum misit, iterq; per Mazagam facere iussit. Verum vt tutius citiusq; aliquid responsi acciperet, constituit relictis Atlantis jugis, Tingim se conferre. Itaq; per syluas & solitudines montanas, qua tutissimum & humanis vestigijs minimè tritum iter erat, non sine magnis & certis periculis Penonem peruenit: vbi cum paucos dies sui colligendi causa substitisset, hinc se Tingim versus contulit: ibi à præfecto vrbis (relictis tamen exterius copijs) intra mœnia humaniter est receptus. Ex illa vrbe è ducibus suis duos legatos cum literis & duobus Tingitanis nobilibus ad Sebastianum regem misit: & ab illo suppetias, quibus in regnum patrium restitueretur, petijt. Et quoniam præfectus Tingitanus non ignorabat se, si comiter regem Mauritanum tractaret, rem gratam regi Lusitano facturum: vt hoc iter felicius succederet, carauellam seu nauem instructam cum supra dictis legatis Vlysbonam ablegauit: de quorum profectione & successu postea dicturi sumus, vbi prius lectorem de quibusdam rebus cognitu necessarijs admonuerimus.

CAP.

CAP. VII.

De causis, quæ mouerunt Regem Sebastianum, vt Muleio Mahameto studeret: deq; legatis eius & apparatu ad bellum: deniq; de regis Marocensis quoq; apparatu ad idem bellum.

CVM Rex Sebastianus natura ad armorum amorem propensissimus esset, nullam aliam voluptatem, quàm è bellicis rebus quærebat: quæ etiam superioribus annis eum Tingim traijcere coëgit, eo animo vt Barbariam in suam potestatem redigeret, sed irrito conatu. Nam Muleius Mahametus (vt supra diximus) bis sibi à Lusitano oblatas suppetias inani stultaq; confidentia repudiarat. Sed cum Lusitanus hoc temporis articulo Mauritani regis literis suum auxilium implorari cerneret: sibi cupido laudis, & imperij ac religionis propagandæ studioso, occasionem optatissimam, qua diuturnum suum desiderium explere posset, offerri gauisus est. Itaq; legatos Muleÿ Mahameti in Lusitaniam appulsos, magnificè excepit, & omnium quorum causa venerant, compotes fecit: literas quin etiam ad Mahametum scripsit: operam suam, auxilium, gratiam obtulit: in paternum regnum restitutionem promisit: nullo ex ipsius consiliarijs aut proceribus magnoperè re-

fragante. Et potuit hæc causa esse eius conuentus, quo inter se ambo reges Catholicus & Lusitanus Guadalupeæ vrbe Castiliæ anno 1570. collocuti sunt. Vbi Catholicus id summo studio egit, vt Lusitanum à tali conatu & incepto deterreret: aut si pertenderet, nec à proposito deduci posset, vt bonis auspicijs negotium susciperet, rebus omnibus necessarijs ad id optimè comparatis. Sed cum Lusitanus nullo pacto de sententia dimoueri posset, rediit domum: quò mox Catholicus legatos quoq; suos, eadem, quæ ipse præsens cum Lusitano egerat, acturos misit. Rex enim Catholicus non ignorabat, quib. viribus, quaq; potentia rex Barbarus præstaret, & quàm peritus rerum ac exercitatus & fortis esset: quantum etiam apparatum tanta res requireret, à quo regem Sebastianum turpiter adhuc inopem esse sciebat. Sed Lusitanus constans in suscepta semel sententia permansit: cumq; res ad eam expeditionem necessarias parare inciperet, principio delectum militum maximum in suo regno haberi jussit, misitq; qui in Germania quinq; millia militum conscriberent: literas etiam dedit ad equites aliquos Andalusios, vt veteranos milites euocarent. Adhæc magnum numerum tormentorum, armorum, cæterarumq; munitionum comparari & commeatum comportari jussit, & vt hæc omnia commodius transportari possent, in omnibus portubus regni sui naues retineri mandauit. Militum, quos è regno suo coegit, magnus numerus fuit, sed male instructi, tyronesq; illi erant, & ex colonis, rusticis & turba ad bellum parum idonea collecti:

lecti. Quod verò ad Germanos attinet, ij & tyrones & rei militaris imperiti erant: cumq; Vlysbonam peruenerunt, morbo correpti vltra duo millia perierunt. Venerunt autem ad regem etiam sexcenti Itali, quos Papa subministrarat Comiti Irlandiæ: qui cum Vlysbonæ tribus instructis nauibus apulisset, regi operam suam condixit, eumq; in bellum sequi promisit. Cæterùm rex ipse publicè per tubicinem in toto regno, promulgari jussit, vt omnes vasalli nobiles, nisi redditibus, censibus & omnibus priuilegijs à rege sibi concessis, spoliari mallent, se ad bellum comitarentur. Rebus igitur necessarijs exercitui comparatis, & nauium lemborumq; satis magna copia coacta: tormenta, commeatum, munitiones, equos & alia necessaria nauibus imponi jussit, vt cum D. Ioannis Baptistæ dies (quo domo exire decreuerat) appropinquaret, nihil esset quod exercitum, quò minus nauibus imponeretur & in Africam transportaretur, impedire aut retardare posset. De his rebus cum Abdelmeleeus rex Mauritaniæ jam admonitus, & quid contra se rex Lusitanus conaretur, certior factus esset: magnum ex eo cepit dolorem: non tam quòd à rege Lusitaniæ sibi metueret, quàm quod erga Christianæ religionis homines benè affectus erat, Africam miseri regis Lusitani (etsi triplo maiores secum copias, quàm habebat, adduceret) sepulchrum futuram animo præuidebat. Itaq; in hanc sententiam verba cum feciſſe constat: Regem Lusitanum diligenter debere cogitare, quàm justam legitimamq; in Africam proficiscendi causam habeat. Nam quòd is

regnum

regnum ei eripere, ad quem jure succeſſionis pertineat, & ad Nigrum transferre conetur, idq; nullo Chriſtiani orbis cum emolumento aut vtilitate: id Deum Opt. Max. qui juſtus judex ſit, nequaquã permiſſurum. Verum enim verò Abdelmelecus vt homo acuti ingenij, ſummæq; in eiuſmodi rebus diligentiæ & prouidentiæ, cepit & ipſe ſe ad bellum parare, & de rebus ad id neceſſarijs cogitare. Tabernacula igitur in campo vna leuca à Maroco diſtante extendi: bellumq; per totum ſuum regnum publicè Chriſtianis denunciari juſſit: quæ res peroptata accidit Mauritanis omnibus. Magnum quinetiam numerum tormentorum, ac præcipuè campeſtrium: commeatus item, & equorum camelorumq; (qui neceſſaria exercttui portarent) infinitam copiam parari mandauit. His ſic prouiſis, cùm audiſſet regem Luſitanum jam jam naues conſcenſurum & Arzillæ appulſurum: ipſe quoq; Maroco a. d. XVI. Aprilis magno populi plauſu, infinitoq; ferè hominum comitatu, in caſtra egreſſus, exercitum ſuum ſub pelles duxit: ſub quibus vltra XX. dies moratus, reliquas copias expectauit. Hinc paruis itineribus Arzillam verſus ſub ſignis agmen promouere cœpit: vtq; cum ijs copijs, quarum in expectatione erat, commodius ſe coniungere poſſet, ad Temocenam, quæ eſt in regni ſui finibus, pauliſper ſubſtitit.

Rex

CAP. VIII.

De Regis Lusitani ex vrbe Vlysbona egressu: & eiusdem apud Gades, Tingim & Arzillam appulsu: deq; conditionibus seu pactis inter ipsum & Muleium Mahametum initis.

REX Lusitanus verò, cum jam toto animo in bellum propenderet, priusquàm naues conscendit, per totum suum regnum supplicationes & preces publicè fieri jussit, vt his auspicijs felicem à Deo successum & contra hostes victoriam impetraret. Ad eam rem sanctissimus pater Papa Rom. (vt misericors est, & nihil aliud quam salutem suarum ouium spectat) regi misit legatum & commissarium suum cum largissimis (vt ipse appellat) indulgentijs, gratijs & prouilegijs, pro omnibus qui tam sanctæ expeditioni sè coniungerent. Tandem ad diem D. Ioanni sacrum (quo die magna celebritate res sacra & pompa pontificalis Vlysbonæ publicè traducitur) totus exercitus nauibus est impositus: postridie verò summo mane Rex Sebastianus (nominatis prius septem regni præfectis ex primoribus, quòd Cardinalis, patruus eius, administrationem regni recusasset cò quòd rex ad preces ipsius de expeditione desistere noluisset) oram soluit, & in altum vela dedit a. d. XXVI. Iunij vna cum X. aut XII. nauibus, quas Galeatas vocant, in quibus tota propemodum eius regni nobilitas

litas vehebatur. Maris tum summa malacia & tranquillitas erat. Classis totius exercitus Vlisbona soluens, constabat ad summum ex maiorum minorumq; nauigiorum mille & trecentis velis: aspectu adeò jucunda, vt multi talem classem ex eo tempore se non vidisse dicerent: cumq; haberet secundum ventum, Gadibus appulit, pridie Diuorum Petri & Pauli. Rex summa gratulatione & lætitia populi sui exceptus, ibi substitit per XV. dies, vt res necessarias, quæ sibi deerant, compararet: vtq; aliquot Hispanorum copias, quæ ex Andalusia adducebantur, secum vna transportaret. Quibus rebus confectis, nauem conscendit a. d. VIII. Iulij, & Gadibus soluens Tingim versus cum Galeatis nauibus perrexit, reliquam verò classem Arzillam versus ire jussit. Nam Mahametum, qui Tingi ipsum solicitè & attentè expectabat, alloqui prius volebat. Itaq; a. d. IX. Iulij regiæ naues Tingi appulerunt, sed priusquam rex in portum perueniret, in eius occursum cum myoparone misit Mahametus filium suum, puerum X. ferè annorum, nomine Muleium Xequum, qui humaniter & comiter à rege est salutatus. Verùm Rex in terram egressus, maiora beneuolentiæ & amicitiæ signa Mahameto exhibuit suamq; operam & auxilia ad restituendum eum in regnum, liberalissimè obtulit. Mahametus in regis conspectu constitutus, etsi jam antea satis eum & per literas & per nuncios de sua voluntate certum fecerat: vt tamen rebus suis tutius consuleret, tum temporis vberius prolixiusq; coràm, quid animi haberet, eidem oratione

tione sua aperuit, docuitq; quomodo patruus Abdelmelecus regnum sibi per vim extortum, Turcicis Viribus & auxilijs innixus vsurparet. Addebat etiam illud, Abdelmelecci vasallos & clientes nihil aliud agitare & in eo totos esse, vt ipso per insidias cæso, aut ad minus derelicto, ad se transirent: deq; eo se sine intermissione à proceribus regni literas acciperc asseuerabat, quibus literis pollicerentur se in castra ipsius transituros, quàm primum vel paruis copijs ipse contra hostem moueret. Quinetiam regi Lusitano persuadere volebat, ne manus cum Abdelmeleco consereret: sed vt castra tantùm metaretur: quod si feciisset, futurum vt milites patrui sui statim imperata sint facturi. Promisit insuper se duos aut tres portus maris Barbarici cum eorundem agris traditurum: & in eius rei fidem obsidem dedit filium suum. Lusitanus qua erat liberalitate & magnanimitate naturæ, in omnibus istis Mahameti fidem habuit, & sine vllis conditionibus, pactis & fideiussoribus, petitioni eius assensit. Hinc cum Mahameto Arzillam, vbi exercitus eius hærebat, perrexit: ibi Muleius Xequus copijs patris præerat, secumq; habebat Tingitani præsidij peditatum & equitatum. Rex Arzillam peruenit die dominico, qui erat XIII. Iulij, & quàm primum è naui in littus egressus est, tormenta, commeatum, & reliquum apparatum bellicum exponi jussit. quatuor verò nauigia instructa Mazagam misit, vt Muleium Xequum obsidem suum eò deducerent. Castra verò propè muros Arzillæ poni,

eaq;

eaq; aggeribus & fossis, vt tutius securiusq; illic tenderet, circumuallari jussit.

CAP IX.

De Abdelmeleco, quomodo is in itinere morbo correptus sit, & quomodo se cum fratre coniunxerit: de lustratione totius exercitus ipsius: de copijs regis Lusitani, eiusq; ex Arzilla egressu.

SED, vt ad Abdelmelecum reuertamur: quàm primum is Temocenam peruenit, magna multitudo equitum hastatorum, scutatorum, aliæq; multæ copiæ se cum illo coniunxerunt. Verùm triduo postquam eò peruenit, in grauem morbum incidit: cuius tamen causam nemo tum intelligebat. Sed paulò pòst cum ingentem stomachi cruciatum sentiret, facilè intellectum est eum inde ortum habuisse, quòd lac auidè gustasset, quod illi in ventriculo coagulatum, concretumq; coisset. Id vt eijceret, bidui & tridui ferè inani conatu vomitum elicere (vt in more habebat) tentauit: & sic tandem magnam casei turundam reiecit, quæ illi ventriculum adeò debilem & languidum reddidit, vt deinceps nullum cibum concoquere potuerit. Ad quod malum accessit etiam durum parumq; commodum hospitium, quod morbum auxit.

Cæterum

Cæterum quàmprimum audiuit, regem Lusitanum Gadibus soluisse vt Arzillam nauigaret, quanquàm tum temporis parum bellè haberet, agmen procedere, & Arzillam versus tendere iussit, ipse in lectica delatus. Iamq; aberat ab Alcazara (vbi eum frater cum exercitu expectabat) non longius itinere vnius diei: cui cum appropinquaret, aduentus ipsius in argumentum lætitiæ crebris tormentorum ictibus exceptus est. Positis tandem illic castris & tabernaculis tensis, coactus est aliquot dies ibi commorari, tum vt reliquas copias expectaret, tum vt vires suas morbo debilitatas recuperaret. Itaq; quàmprimum copiæ illæ, quas expectarat, aduenerunt, totum exercitum lustrauit: inuenitq; XV. millia peditum sclopetariorum: è quibus V. millia veteranorum lectissimorum erant: reliqua pars, tyronum & nullius experientiæ. Accedebant duo millia Argoletorum, & XLII. millia Alarbum hastatorum equitum, scutis tectorum. Habuit & XXVI. tormenta campestria, optimè instructa, & artifices tormentarios in eo negotio valdè dextros & agiles. Totus insuper exercitus commeatu egregie instructus, ac militibus stipendia liberaliter distributa & diribita erant: quod præcipuum in re bellica opus est, & quod imperator ac dux belli inprimis curæ habere debet. Miles itaq; singulis mensibus aureo numo soluebatur: itaq; omnes etiam pro Abdelmeleco extrema pati & vitam suam pro illo impendere parati erant: exceptis equitibus Alarbum, quibus parùm fidebat, vt potè non ignarus eos perfidiæ plenos esse, nec vlli

alij rei ſtudere quam vt prædas agant & rapiant vndecunq; poſſunt. Et vt breui complectar, in nullis plus confidentiæ habebat, quàm in quinq; millibus illis veteranorum ſclopetariorum. Sed quod maximè omnium Adelmeleco doluit, hoc fuit, quod in canto tamq; periculoſo prælio (in quo, niſi de regni ſumma periclitari vellet ipſum præſentem adeſſe & adminiſtrare oportebat) ſe tam debilem, morboq; adeò fractum ſentiebat: quem morbum Caniculæ ardentiſſimum ſydus augebat. Tenuit ſe illic per octo aut nouem dies, donec rex Luſitanus nolentem etiam, progredi & caſtra ad Alcazarem quibir ponere coëgit. Interea rex Luſitanus Arzilla egreſſus, & ad iter accinctus, totum & ipſe ſuum exercitum luſtrauit: in quo (vltra mille ſtipendiarios, quos in claſſis præſidium reliquerat, & duo millia quæ Mazagam miſerat) habuit quatuordecim millia equitum magna ex parte armis tectorum. Adhæc accedebant tria millia foſſorum & plus quàm mille aurigæ, & infinita ferè multitudo lixarum, calonum, ſeruorum, aliorumq; mancipiorum Maurorum, mulionum, mulierum & Amazonum (quas Galli per jocum filles de joye, id eſt, filias gaudij appellant) Nam eò res deuenit, vt bellum à nobis ſine eiuſmodi limacibus non videatur geri poſſe. Ita vt tota illa incondita impedimentorum turba, viginti ſex hominum millia ſuperarit. Præter hæc habuit triginta ſex tormenta campeſtria: item mille & centum currus plenos ſtoreis, vaſis & ſuppellectile pro nobilibus duntaxat. Potuit quidem maiores copias in eam ex-

eam expeditionem ducere, tam ex Hispania quàm ex alijs regionibus: sed verbis Muleij Mahameti, qui Abdelmeleci exercitum ad se transiturum dicebat, fidem habens, multos Hispanos, qui Gadibus naues ascendere cupiebant, exautorauit: multò verò facilius illis missionem dabat, qui sub prætextu aduersæ valetudinis domum remitti petebant. In exercitu qui eum sequebatur, erant tria millia Germanorum, sexcenti Itali, duo millia velitum & quingenti, quibus præcipuè confidebat, Reliqui erant Lusitani. Habebat & duo millia equitum: quorum dimidium Tingi abduxit, reliquum erat ex nobilibus Lusitanis & eius vasallis ac clientibus. Et harum copiarum maior pars parcè & malignè stipendia accipiebat, inopiaq; & alijs multis malis laborabat. Iam enim commeatus deficere incipiebat, qui tàm parcè illis distribuebatur, vt multi fame extincti sint. Cuius rei causa omnis penes præfectos annonæ fuit, qui plerumq; malis suis artibus principes & duces belli in extremas calamitates conijciunt. Quòd verò omnium pessimum fuit, maior pars exercitus è tyronibus constabat, qui sine peritia rei militaris erant, nec vnquam aciem aut castra aspexerant. Vt omittam octo millia illa, quæ hastis prælongis erant armata: quo genere militum ad bellum in Barbaria gerendum nihil est inutilius aut ineptius, vt euentus postea docuit. Lustrato per regem Lusitanum exercitu, Abdelmelecus jam Alcazaram peruenit cum exercitu furoris & iræ pleno. Quæ res effecit, vt consiliarij regem Lusitanum rogarent, ne vllo modo acie decer-

taret, cum aduersarij ipsum copijs & viribus longè vincerent: sed potius vt Larissam cum exercitu tenderet, locumq; illum munitum caperet, rebusq; suis præuideret & consuleret. Cæterùm Abdelmelecus, cum per singulas ferè horas, quæ in castris Christianorum gererentur, per exploratores cognosceret: & quam invalidæ Lusitano copiæ, quamq; frigide omnia administrata essent, compertum haberet: ideoq; miserum regem in juuenli ætate constitutum, ruinæ proximum videret: omnibus modis id egit, ne manum conserere cogeretur, quòd alioqui erga Christianos non pessimè affectus esset. Itaq; per certos quosdam homines, eosq; ferè mercatores, clanculum & occultè id operam dedit, vt Lusitanum de dolis & fallacijs Mahameti (qui eum in hæc pericula, tamq; præsentem ruinam & vitæ discrimen adduxerat) certiorem redderet. Quanquam autem hæc Abdelmeleci consilia Lusitano non ignota erant, & ipsius consiliarij eadem quæ Abdelmelecus suaderent atq; à proposito deducere conarentur: ille tamen omnia ista pertinaciter contemsit, non tantum vt ardens pugnandi desiderium expleret, viresq; suas & spiritum magnanimum periclitaretur: sed etiam quòd Mahameti promissis, quibus plurimum fidei inesse credebat, præcipuè confideret. Et vt in pauca conferam, consiliarij ipsius id vnum agebant, ne rex ad pugnam descenderet, sed vt potius Larissam contenderet: tantumq; increpando vrgendoq; perfecerunt, vt suis monitis rex tandem manus dans, Larissam versus tendere decreuerit. Itaq; classe Larissam

sam versus nauigare jussa, ipse pedestri itinere a. d. XXIX. Iulij (qui erat dies Martis) Arzilla egressus, per triduum itineribus paruis (propter multitudinem impedimentorum quæ eum sequebantur) factis, die Veneris substitit, quòd aliquid subsidij Arzilla expectabat. Die Sabbathi summo mane castra mouens, tandem juxta fluuium vrbis Lariſſæ (quod Mazaga dicitur) consedit, custodys & stationibus (propter Mauros passim palantes) pro more suo diligenter dispositis.

CAP. X.

De Rege Abdelmeleco in planiciem Alcazaræ pergente: deq; Lusitano, qui omisso itinere versus Lariſſam, obuiam iuit hosti tam propinquo: deq; Abdelmeleco ad pugnam se parante die Solis, qui erat tertius Augusti mensis.

ABdelmelecus eo tempore valde debilis & infirmæ valetudinis Alcazaræ hærens, etsi intellexit Lusitanum Arzilla egressum, ad fluuium Mazagam consedisse: loco tamen se mouere noluit, priusquàm ex exploratoribus cognouit hostes Alcazaram versus tendere. Volebat enim permittere vt hostes Lariſſam occuparent, existimans fore vt Lusitanus

ea occupata contentus, illuc rediret vnde veniſſet. Sed cum comperiſſet hoſtem die Sabbathi mane vlterius pergere: eodem tempore & ipſe caſtra mouit, & per Alcazaram Arzillam verſus ipſe quoq; perrexit. Cumq; paulò plus dimidio leucæ, hoc eſt, vltra mille paſſus cum agmine progreſſus eſſet, caſtra in excelſo quodam colle poſuit, in conſpectu Luſitanorum, qui leucæ ſpacio à dicto tumulo aberant, & in ampla ac jucunda planicie caſtra metati erant. Cum ſecundum decurſum Alcazaræ fluuij eſſet, juſſit in ipſius ripa tentoria erigi non procul à confluente alterius fluuij qui Lariſſam petit. Meridie jam tranſacto, in tentorijs cum exercitu ab æſtu ſe refecit, in lectica ipſe requieſcens. Interea miſit aliquot equites, qui certiora de hoſtibus referrent: pro ſtationibus verò collocauit milites, qui prohiberent ne è ſuis caſtris aliqui ad Luſitanum & Muleium Mahametum tranſirent. Rex Luſitanus cum die Sabbathi mane ad fluuium Lariſſæ peruenisſet, ibidemq; caſtra ſua poſuiſſet, eo in loco vbi ad traducenda tormenta vadum reperiri poſſe exiſtimabat: ſed eo animo eſſet, vt Lariſſam progrederetur: ibi Mahametus homo callidus, malicioſus & fraudulentus, cum cogitaret fore vt, ſi Luſitanus Lariſſam vrbem ingrederetur, & Abdelmeleci vires ac exercitum potentiſſimum conſideraret, is infecta re domum rediret, & ſe ibi deſertum ſolumq; inimicis ſuis obijceret: conſtituit ea die cum Luſitano colloqui, eumq; de itinere, quod Lariſſam verſus propoſuerat, dehortari: & vt id commodius conficeret, cœpit callidis verbis commemorare, quòd multi Mauri equi-

tes ad

tes ad se ab Abdelmeleco transiissent, quòdq; reliquus exercitus idem facere conaretur. Quòd si ipse Lariſſam iret, fore vt quasi timidus & in fuga salutem ponens ab omnibus reprehenderetur. Esse Abdelmelecum nudum ab amicis: ab ipso enim milites duriter tractari: eosq; ideò ipsi tendere insidias, vt eum aut trucident, aut in ipso negotio deserant. Melius & consultius esse, vt Alcazaram versus eat, præsertim cum hostis, qui in occursum veniat, nequaquam tantum audaciæ sibi sit sumturus, vt ipsum impedire conetur. Adiecit & alia argumenta ad propositum facientia: quibus id effecit, vt Lusitanum de Lariſſæo itinere deduxerit: & sanè alioqui in tanta hostis propinquitate pergere difficile illi erat. Die dominico, summo mane Lusitanus castra mouit & secundum ripam fluuij ascendit, vt ad regiam viam, quæ Arzilla Alcazaram versus ducit, perueniret: cumq; vadum quoddam inuenisset, constitit, mandauitq; fossoribus, vt in posterum diem viam paratam haberent. Abdelmelecus verò Lusitani consilio intellecto, tuba signum dari jussit, vt omnes se armarent. Itaq; jam meridie transacto, è castris egressus, relictoq; ijs firmo præsidio, perrexit contra hostem ire. Cumq; ferè per quartam partem leucæ progressus esset, constitit & exercitum suum respirare jussit, donec cognosceret, quid hostis, qui circiter dimidiam leucam indè aberat, in animo haberet. Nam (vt diximus) Abdelmelecus constituerat prælio prius non decertare, quam id Lusitanus prior expeteret. Lusitanus cum secundum Lariſſæ fluuium castris positis, audiret hostem contra

se tendere, coactus est castra mouere & aciem disponere: non quidem præliandi causa (quia vado fluuius transiri sine summa difficultate non poterat, & erat magna manus Maurorum, qui leuibus præliis continuè eius milites lacessebant) sed vt se muniret, & fluuio ingenti instar muri contra hostem vteretur. Hoc pacto duo illi exercitus, dum alter ab altero prælij initium expectat, per reliquum illius diei se continuerunt. Itaq; cum jam adueſperaſceret, & Abdelmelecus Luſitanos ſe loco non mouere videret: etſi principes eius ad conſerendas manus & ſignum prælij dandum vrgerent: quia tamen nox inſtabat, receptui cani juſſit & in caſtra exercitum reduxit. Sed tamen per tubicinem in caſtris edixit, ne quiſquam è caſtris ſuis ad Muleium Mahametum transfugere poſſet. Et certè hæc cuſtodia cauſa fuit cladis Mahameto: quandoquidem nemo è ſtatione ſua aut tabernaculo diſcedere auſus eſt. Ipſe interea Abdelmelecus toto animo in prælium intentus erat. Nam cum eo die multos equites & abiuratæ fidei homines è caſtris ſuis fugiſſe inaudiſſet: metueretq; ne, ſi certamen poſtridie detrectaret, maior pars exercitus deficeret: non amplius ceſſandum ſibi ratus, vlterius progredi & Martis aleam tentare decreuit. Itaq; in caſtris per tubicinem ſignificari juſſit, vt omnes eſſent in procinctu, vel viuere vel mori parati.

De

CAP. XI.

De concionibus Regis Sebastiani & Abdelmeleci, quas ad milites suos habuerunt, priusquàm ad manus venirent, & de ordine duorum exercituum.

POstquàm Rex Lusitanus hostes se in castra recepisse vidit, idem & ipse fecit: rursusq; eo in loco, vnde paulò antè egressus est, castra posuit. Ea nocte habito principum concilio, constituit postero die (qui dies Lunæ erat) copiam pugnandi hosti dare. Et constans omnium fama est Muleium Mahametum consilium dedisse, vt postridie sub vesperam prælium cieretur: non tam quòd hac ratione milites Abdelmeleci commodè ad se transire possent, quàm quòd is propter noctis obscuritatem, nullum remedium habere posset, si qua confusio in ipsius exercitu oriretur. Hoc consilium vt bonum & salubre ab omnibus approbatum fuit: ideoq; eadem nocte rex Lusitanus in castris mandari jussit, vt postridie (qui erat dies Lunæ) prima luce tormenta & impedimenta per vadum celerrimè traducerentur. Nam si diutius morati fuissent, aduersarij haud dubiè ipsos transitu prohibuissent: quæ etiam causa fuit, cur prælium non sub vesperam, sed maturius commissum fuerit. Vado ad transeundum præparato, statim exercitus traductus est, & castra vltra fluuium posita sunt: rexq; simul

ordinare aciem, explicare cateruas & tormenta locis idoneis collocare cepit. Prolixam verò ad milites concionem habuit, exhortatusq; eos est blando & comi sermone, adhibitisq; argumentis efficacibus, vt se ad honorem Dei & incrementum religionis Christianæ periculis fortiter offerrent: promittens ingentes opes, gratiam, honores & priuilegia: deq; victoria spem optimam habere jubens, præsertim Deo adiuuante, in quo omnem spem fixam haberet. Idem faciebant pro virili purpurati, qui regem in hanc expeditionem secuti erant: nimirum Episcopi Conimbricenses & Portuenses: commissarius item Pontificius & alij plures sacri ordinis homines. His adhortationibus totum antemeridianum tempus consumtum est, req; extracta ad horam vndecimam vsq; Abdelmelecus è contra animaduertens Christianos instructo agmine accedere: ipse quoq; per castra signum dari jussit, ducibusq; mandauit, vt milites è castris eductos, in ordinem quem præscripserat disponerent, Et quoniam ob morbum membris debilis, colore pallidus & luridus erat: & propter paralysim brachijs nullo modo vti poterat: qui prudentiores cautioresq; è consiliarijs erant, dehortabantur ne ipse præsens in prælium ire vellet: quibus ille neutiquam consentire volebat: sed cum plusquàm viginti diebus equum non ascendisset, lecticam suam relinquere constituit, seq; sumtuosissimis vestibus Attalici textus indui, & infinitis gemmis preciosissimis, ac margaritis ex Oriente optimis ornari jussit: equumq; generosum & validum conscendit. Hoc modo ad pugnam paratus,

suos

ſuos adhortari ad fortitudinem cepit, honores & munera militaria opima pollicitus, ijs qui ſe viros geſſiſſent, & ſtrenuè ſuum munus adminiſtraſſent. Quibus verbis & pollicitationibus milites ſuos, in quorum conſpectum ob aduerſam valetudinem diu non venerat, ita animauit & incendit, vt Martem ſpirare & inſtar leonum in prælium ruere viſi fuerint. Et quanquam principiò aliqui fuerint, qui ipſi inſidias tendere & transfugere conati ſint: hìc tamen commutata ſententia, ſumma cum reuerentia ſe illi adeò ſubiecerunt, vt pedibus eius oſcula etiam ferre non ſint dedignati.

Tandem exercitu in modum ſemicirculi ſeu meniſci diſpoſito: & in tres acies diuiſo, agmen promouere cepit. Dextrum cornu ducebat princeps frater Abdelmeleci, qui ſecum habebat mille ſclopetarios equites lectiſſimos. Habuit autem etiam decem millia equitum haſtatorum & ſcutatorum. Siniſtrum lunulæ cornu tenuerunt duo millia Argoletorum & decem millia equitum haſtatorum, eodem ordine quo in dextro cornu. Hos ducebat prorex Mahametus Zareo. Tertia acies (quæ princeps acies erat, & in qua Rex Abdelmelecus conſtiterat) peditibus ſclopetarijs munita erat. Hos ſequebatur rex prætoria cohorte ducentorum abiuratæ religionis militum circumdatus, qui omnes Alabardis ſeu bipennibus armati erant. In ſubſidiaria verò acie habebat viginti millia equitum, per bina millia diuiſorum. Tormenta autem campeſtria inprimis ſcite collocari curauit, quæ (vt ſupra dictum eſt) numero viginti ſex erant.

Ca-

Cæterùm Lusitanus aciem suam longè aliter instruxit. Nam totum exercitum diuisit in quatuor acies quadratas. In dextro latere, primum agmen erat velitum & militum Tingitanorum, eosq; ductabat Aluarus Peresius de Tauora. Sinistram aciem seu mediam tenebant Germani & Itali, quibus imperabat Marchio Irlandiæ. Tertiam subsidiariam aciem occuparant Hispani & aliquot Itali, quorum dux erat Alonzo Aquilarius. Quartam aciem tenebant milites Lusitani, sub imperio cuiusdam nobilis eius nationis, cui nomen Ludouicus Cæsar. Singulæ acies habebant ferè tria millia militum, sed aliæ plures, aliæ pauciores. Imperator verò totius exercitus erat Duartus Menesius, præfectus vrbis Tingitanæ. Vltra has copias habebat decem millia equitum optimè instructa & per quingenos diuisa, tam in primo agmine & subsidiaria acie, quam in vtroq; cornu. In medio totius exercitus, impedimenta, imbellis turba, currus & serui erant collocati. Muleius autem Mahametus consistebat ad dextrum aciei latus, cum paucis militibus suis, quorum summa erat ad quingentos sclopetarios & sexcentos hastatos. In fronte aciei collocarat rex triginta sex tormenta campestria. Dispositi itaq; duo illi exercitus hoc modo per ingentem & amplam planiciem incedebant quæ ita patens & nuda erat, vt nulla neque arbor, neq; herba, neq; lapis intra duas leucas circum circa æqualibus à medio radijs occureret. Acies Maurorum à sinistra fluuio Alcazare vice aggeris aut munitionis tecta erat: Lusitanus à tergo Mazagam,

qui

qui Lariſſam petit, habebat. Duabus autem de cauſis Alcazarem fluuium, priuſquam intra teli jactum eſſet, attingere cupiebat: primò, vt aduerſarijs ventum auferret, deinde vt fluuio pro muro aut aggere vteretur. Sic Chriſtiani ventum ſatis ſecundum habuerunt etſi ſolis radij à principio ijs aduerſi erant. Nam poſtea & quidem ſubitò ſerenitas in obſcuritatem mutata eſt, & tempeſtas adeò nubila euaſit, vt Solis radij nihil moleſtiæ attulerint. Cæterum cum hi duo exercitus ita inter ſe propinqui eſſent, vt intra jactum plumbeæ pilæ eſſent: circa vndecimam horam cum ſemiſſe Mauritani gradum ſiſtere & tormenta dirigere ceperunt.

CAP. XII

De pugna inter regem Luſitanum Sebaſtianum & Abdelmelecum: in qua Maurorum acies ter rupta eſt: deq; mortuo exui morbi Abdelmeleco: & victoria exercitus eius poſt mortem ipſius.

AD diem IIII. Auguſti (qui erat dies Lunæ) anno ſalutis noſtræ 1578. prælium eſt commiſſum inter duos reges, circa horam 12. & Mauri quidem primi tormenta in Chriſtianos eiaculari cœperunt: ſed vix tres globos miſerant, cum ecce Chriſtiani

ſtiani eoſdem ſuis quoq; pilis excipiunt. Statimq; ſclopetarij milites ab vtraq; acie paruas pilas inſtar nimbi aut grandinis effuderunt, tam horrida, furioſa, terribiliq; tempeſtate, vt præ tremore, quem tormentorum fragor & boatus excitabat, terra in profundum demergi, & cœlum igni, flammis, fulgere, tonitribus tormentorum exardeſcere videretur. Exoneratis igitur tormentis, quingenti armati ex prima acie, quos dux de Auero ducebat, in ſiniſtrum Maurorum cornu impetum fecerunt, eoſq; diſſiparunt, & occiſis plurimis, cæteros in fugam compulerunt, ita vt pluſquam octo millia ſclopetariorum & viginti millia equitum haſtatorum, (qui Alarbes erant) locum reliquerint, ac ferè per viginti leucas diffugientes, de victoria Chriſtianorum paſſim rumorem ſparſerint. In hoc primo congreſſu Mauri duo equeſtria vexilla amiſerunt, non ſine magno Abdelmeleci dolore, qui cum in medio agmine equo inſideret, videretq; ſuos turpi fugæ laxè & effuſe adeò indulgere, ita ira & furore incenſus fuit, vt quantumuis præ imbecillitate in equo vix ſedere poſſet, ipſe tamen ea parte, qua ipſius milites fugiebant, hoſtem aggredi conatus ſit, vt inclinatum illud fœdeq; diſiectum cornu repararet & fugientes ſiſteret, contraq; hoſtem rurſus conuerteret. Sed prætoriæ cohortis milites, cũ extremam ipſius debilitatem non ignorarent, ſublatis habenis quominus vlterius progredi poſſet, prohibuerunt. Cum verò vt illorum manibus ſe eriperet, manum capulo admoucre conaretur, paralyſi brachia manuſq; diriguiſſe animaduertit. Qua ex re

tantum

tantum dolorem animo sensit, vt amissa voce in lunatum ephippij arcum procumbens, nihil amplius prolocutus sit, quàm vt se acyus promouerent: id quod factum est, sed ad factum duntaxat lapidis. Interea prætoriani regem ex equo sublatum, in lecticam reposuerunt, vbi intra semihoram animam exhalauit. Mors tamen eius callidè dissimulata est, dum eum quieti se tradidisse fingerent. Verum enimverò etsi Christiani Mauritanos primo congressu vicerunt: reliquus tamen regis Lusitani exercitus hac victoria vti nesciuit. Cum enim nemo esset qui, quod facto opus esset, juberet, aut subsidiarias cohortes in auxilium submitteret: pulcherrimam victoriam è manibus elabi permiserunt: ipsi verò victores milites se eò recipere coacti sunt, vnde exierunt. Mauri itaq; cum hanc suorum stragem à solis equitibus editam cernerent, neque quenquam esse qui illis suppetias ferret: mille Argoletos, alioscq; plurimos emiserunt, qui Lusitanos antea victores ea vi in fugam coniecerunt, vt in mediam aciem peditum irruentes, ingentem totius Christiani exercitus perturbationem effecerint. Res in ipso conspectu & præsentia regis gerebatur: qui suorum suasu hactenus in curru commoratus, quamprimum suorum fugam & inclinationem conspexit, subitò in equum armis viridibus & contra quamuis vim validis protectum insilijt: & in hostem duce de Auero alijsq; armatis comitatus, sese intulit. Quanquam autem tanta vi, tantoq; impetu in aduersarios inuectus est, vt denuò illorum aciem ruperit: cum tamen exercitus Mauritanus locò non

cederet,

cederet, coacti sunt hi equites (qui vix quingenti numero erant) pedem referre: quos Mauri tanto impetu insecuti sunt, vt magno eorum numero occiso, reliquos coëgerint se peditibus inferre, ita vt præcipiti & vecordi consternatione irruentes, pondere equorum plurimis protritis & elisis, magnam suorum stragem ediderint. Interea totæ Mahometani exercitus copiæ de monte decurrentes, ingenti impetu Christianorum aciem inuadere ceperunt. In eo conflictu dux De Auero & multi alij nobiles strenuiq; viri ceciderunt: quin & regis Lusitani equus, ipso tamen saluo & illæso, traiectus: & tormenta, quæ in hoc prælio Christianis nulli vsui fuerunt, capta sunt. Quod ad dextrum Maurorum cornu attinet, eius milites jam inde ab initio prælij nunquàm cessarunt grandines pilarum in Christianos effundere: quin & loco se mouentes, lunatá aciei figura perpetuò conseruata, exercitum regis Lusitani circumire, & ab latere postremam aciem adoriri ceperunt. Itaq; Rex (qui jam alium equum recentem conscenderat) animaduertens postremam aciem opus habere subsidio, quingentis armatis, qui huic officio destinati erant, secum raptis, Mauros, qui sub Muleio Hameto fratre Abdelmeleci erant, tertium adortus est: quos ita perterruit, vt coëgerit eos vltra dimidiam leucam cedere, occisis plurimis, reliquis autem dissipatis. Sed cum solus esset, neminemq; haberet qui se sequeretur: magno cum dolore, contraq; animi sui voluntatem ad exercitum suum se conferre coactus est, vt nimirum ad cladem suam viuus vidensq; vt dicitur, proficisce-

ficiscretur. Nam Mauri in sinistro cornu, postquam Christianorum tormenta ceperunt, victoriam persequentes, etiam illos Christianos, qui ad ripam fluuij erant, ita deuicerunt, vt in Muleij Mahameti (qui inter Christianos & fluuium se tenebat) stationem in ueherentur, miserandamq; stragem Maurorum, qui cum eo erant, ederent: & multi ex eius militibus in turmas Christianorum se proriperent. Muleius Mahametus fuga salutem quærere volens, cum fluuium Larissæ cœnosum & palustrem vado transire vellet, ab equo (qui è luto eluctari conabatur) strato excussus: & cum natandi imperitus esset, submersus & aquis extinctus est. Victores Mauri, victis insistentes, ad stationem Muleij Hameti fratris Abdelmeleci peruenerunt, ibiq; principes Christianos vndiq; inclusos & quasi indagine cinctos partim occiderunt, partim captiuos abduxerunt. Nostri itaq; sic vndiq; circumuenti, cum nec puluerem tormentarium (nam is incuria militum incensus jam antea perierat) nec aliud quicquam haberent quo se defenderent: aut promiscua cæde suorum maiorem quàm hostium stragem ederent: in pedes ita effuse se coniecerunt, vt præcipiti fuga alijs super alios ruentibus & pondere equorum protritis & elisis, miseranda strages facta sit. Cumulos enim conculcatorum & colliforum, non aliter atq; manipulos & fasces spicarum in area aceruatim collectos videre licebat. Aduersarij quoq;, qui insatiabili Christiani sanguinis siti tenebantur, cum plumbearum pilarum ictus ingeminarent, non paucos ex suis quoq; vnà lædebant & fædè discerpe-

bant. Quod verò ad octo millia hastatorum peditum attinet, quos Lusitanus in sua acie habuit, cum ij nihil aliud egerint, quàm vt totidem hastas barbaro hosti reliquerint, experientia ipsa docuit, quàm parum profuerint in prælio. Nam cum his pro totidem sclopetarijs (quos hosti obijcere debuerat) rex vsus sit: ex ijsdem ruinam certissimam sibi machinatus est. Et quanquam res in summum discrimen adducta erat, Lusitanus tamen rex hosti incommodare non cessabat: & modò hac in parte, modò in illa, non pluribus quàm septem aut octo Tingitanis ambactis comitatus, occurebat. Lusitani enim nobiles & equites adeo ignaui & imbelles feruntur fuisse, vt multi eorum relictis equis in aprica loca & curruum vmbras ad frigus captandum se contulerint, eo animo vt cum rem omnem perditam cernerent, ipsi fuga sibi salutem quærerent. Atq; ita cùm partim pedibus, partim equis Arzillam versus, vnde venerant, fugere cepissent: tanto impetu Mauri, ac præsertim equites (qui adhuc integri erant) eos prosecuti sunt, vt miserandam eorum stragem ediderint. Rex tamen Sebastianus, suos deserere & fuga salutem quærere indecorum ducens, cum suis illis paucis strenuè rem gerebat: tot cædes faciebat, tot orco demittebat, vt multi fulmen illum appellarent, pauci sanè aspicere aut contra tueri auderent. Tandem sexaginta circiter milites Abdelmeleci, ex regis cæde gloriam quæsituri, globo facto eum circumdederunt. Is ergo cum nullam sibi ad effugiendum viam superesse videret, vni ex suis ambactis mandauit, vt candidam

fasciam

fasciam hastæ appensam in signum deditionis erigeret. At illi, qui cum inclusérant (Alarbes scilicet, genus omnium maximè barbarum & crudele) hoc signo in auxilium Lusitanos vocari existimantes: ex omni parte impetu facto, regem multis locis conuulnerarunt, tandemq; ceperunt: & laqueolo galeæ inciso, duas plagas capiti, totidemq; faciei inflixerunt, vt ita de equo præcipitatus expirarit. Christianos fugientes Mauri in multam noctem insecuti sunt. Itaq; omnibus victis, dissipatisq;, aut in miseram captiuitatem redactis: Muleius Hametus receptui cani jussit, & in castra cum cadauere fratris Abdelmeleci rediit: ad quæ peruenientem nox deprehendit, statimq; & regis Abdelmeleci mors publicata, & eadem opera Muleius Hametus pro rege agnitus & receptus est: magnaq; tristitia, ex desiderio Abdelmeleci orta, totum exercitum tenuit.

CAP. XIII.

De nobilibus & militibus, qui è prælio Tingim & Arzillam confugerunt: deq; numero cæsorum & captiuorum, & de successore nouo in regno Mauritaniæ.

ETsi autem hæc clades diuinitus haud dubiè propter delicta nostra inflicta nobis est: ducenti tamen, aut paulò minus, felici successu ex barbarorum

manibus elapsi, superstites & salui euaserunt: è quibus sexaginta equites, reliqui pedites erant: & ex his Antonius Lusitanus, qui per Maurum quendam ex hostium manibus liberatus & Tingim deductus fuit. Cæterum Christianorum hoc prælio occisa sunt plusquam duodecim millia. Totus enim campus corporibus hominum mortuorum: quin & cadaueribus equorum, mulorum, asinorum, boum & aliorum iumentorum, oppletus erat. Inter nobiliores, qui in hoc prælio ceciderunt, fuerunt præter regem Sebastianum, dux de Auero, Episcopi Conimbricensis & Portuensis, Commissarius generalis à Pontifice missus, Marchio Irlandiæ, Christophorus de Tauora & plures alij equestres nobilesq; viri, quos breuitatis studio omitto. Die Martis (qui fuit quintus Augusti) tempore matutino rex nouus misit cohortem peditum, qui mortuos suos in campo cognoscerent: è quibus mille quingentos agnitos, sepulturæ eodem in loco mandarunt: inter quos fuêre multi strenui & celebres duces, regis Abdelmeleci amici & familiares. His more suo sepultis, Muleij Mahameti (qui tot malorum & cladium autor extitit) cadauer in litore & arenis fluuij, in quo submersus perijt, repertum est.

Cadauer regis Lusitani inter Christianorũ cæsorum cadauer a inuentum est per duos ipsius seruos captiuos, quos nouus rex ea de causa miserat circa diluculum illud, promissa etiam libertate, si regis cadauer reperissent, vestibus suis contectum ad nouum regem attulerunt: simulq; Muleij Mahameti corpus allatum est. Hæc cadauera trium regum in idem tabernaculum

culum delata triste & horrendum de se spectaculum præbuerunt, & spectantibus lacrymas excusserunt. Quid enim tristius, aut visu magis horrendum erat, quàm tres potentissimos reges vno prælio defunctos simul jacentes conspicere? quorum vnius exercitus ipso viuo victus, eo mortuo aliorum duorum regum exercitum statim superauit: cumq; omnes tres ad Mauritaniæ regnum aspirarent, nullus ex ipsis eam tenuit. Sed hanc rem humanis sensibus occlusam, & diuinæ maiestatis occulto judicio reseruatam, omitto. Cadauer Abdelmeleci Fessam, circiter viginti leucas Alcazara distantem, lectica est delatum, vt ibi sepulturæ mandaretur: mortuum comitati sunt omnes equites cum vna peditum legione. Cadauer Fessam delatum, magna ciuium tristitia exceptum, maiorum suorum sepulcro est illatum, eodem prorsus habitu & vestitu, & pretioso gemmarum ornatu, in quo defunctus rex est. Multi ex nobilibus captiuis, regis Lusitani corpus redimere desiderarunt, & pro lytro decem millia ducatorum Muleio Hameto, vt id Tingim mitteret, obtulerunt. Sed Barbarus respondit, non decere, si mortui cadauer vendatur: veruntamen si Tingi aut Arzilla sibi cedere velint, corpus se illis redditurum dixit. Verùm cum hæc res in ipsorum manu & potestate non esset: vlterius progredi non potuerunt: id tamen à nouo rege obtinuerunt, vt regis Lusitani cadauer Alcazaram deferri pateretur: vbi etiam id in Xenodochio (quod est in palatio præfecti illius oppidi) sepultum est, appositis custodibus, ne per Chri-

stianos auferretur. Cæterum quod ad cadauer Muleij Mahameti attinet, nouus rex, eius patruus, mortuo (quòd is tantarum cladium autor fuisset) cutem detrahi, eamq; salitam stramentis impleri: ac ad deterrendum alios, ne similia aliquando tentarent, per omnes regni sui prouincias circumferri iussit.

CAP. XIIII.

De numero captiuorum: de nouo rege, regni possessionem occupante: deq; Abdelmeleci & Mahameti regum natura & moribus.

VIri, mulieres, pueri, serui, Æthiopes, hoc prælio per Mauros capti, numero fuerunt vltra quatuordecim millia: ijq; postridie inter milites distributi & per omnes Mauritaniæ prouincias deducti. Nam vt Mauri ex omnibus vndiq; locis ad pugnam confluxerunt: ita quilibet eorum suas manubias secum domum ferebat. Cæterùm quanquàm consiliarij noui regis vnum id agebant, vt is vel Tingim vel Arzillam obsidione cingeret, cum præsertim nemo esset, qui resisteret aut propugnaret: id tamen facere recusauit: sed potius ad iter Fessanum se adcinxit, vt eius vrbis possessione capta, omnium regnorum hæreditatem cerneret: ratus non defuturos sibi alioqui æmulos, qui se cessante res nouas moliri non verentur. Et fuit ille quidem pro rege agnitus, sed inuitis

uitis omnium animis & quodammodo subringentibus: nec ea sanè alacritate, qua alios reges excipere solitus erat: idq; adeò quia in hoc nouo rege Hameto nihil neruorum viriumq; erat: homo iners, negligens rem militarem, nec eiusmodi qui ad regiam dignitatem sustinendam aptus esset: sed econtra effœminatus, mollis, delitijs & voluptatibus deditus, & domi in palatio delitescens: Annos tum habuit circiter XXIX. aut XXX: nigri coloris: non crassus, sed procerus tamen & debilis ac nullarum virium: & multò minus peritus rerum & compos prudentiæ eius quæ in regno administrando requiritur: & vt breui complectar, planè dissimilis fratri Abdelmeleco. Is enim mediocri statura erat, corporis symmetria eleganti, humeris latis, facie candida, sed colore rubro intermixto, qui genus illius egregiè commendabat: barba nigra, eaq; densa & cirris implexa: oculis magnis & glaucis. Deniq; prorsus elegans & in omnibus actionibus gestibusq; venustus: & corporis viribus robustus, quas perpetua exercitatione cum in leuibus prælijs ciendis tum arcubus tendendis tuebatur. Hispanicè optimè loquebatur, & quidem summa cum gratia & venustate: sed & Hispanicè scribere norat. Italicam verò linguam supra alias tenebat: sed in primis delectabatur lingua Turcica, ita vt Arabicam (quæ illi vernacula erat, & in qua pro excellentissimo suæ ætatis poëta habebatur) præ ea negligeret. Ingeniosus, acutus & summè prudens, cum alijs omnibus in rebus, tum præcipuè in regni administratione fuit. Scitè varijs instrumentis musicis

ſupra modũ delectabatur, in quibus etiam plurimum ludebat: ſaltare optimè norat: armis & arte militari ſe exercebat, adeò vt multa tormenta bellica, quæ adhuc in Mauritania habentur, ſuis manib. fabricarit. In omnibus enim rebus, quaſcunq; aggrederetur, ſingulari & omnibus admirabili ingenio erat. Et quanquàm ipſe Mahumetanã relgionẽ colebat, ita tamen Chriſtianos & inter hos Hiſpanos amabat, vt amorem ipſius & beneuolentiam, quam erga captiuos plurimos exercuit, verbis exprimere non poſſim Hos enim ſine vllo precio ſeu lytro dimiſſos, in Hiſpaniam redire permiſit: eaq; munificentia & liberalitate intra triennium, quo regnauit, pluſquàm ducentos libertate donauit. Omitto nunc dicere, qua gratia & comitate captiuos tractarit, ne aut prolixior ſim quàm par eſt, aut eius amore longius productus videar. Sed ne meo præconio opus ſit, res ipſa teſtimonio eſt, docetq; id Xenodocheũ pro ægrotis Chriſtianis juxta templũ Marocenſe ædificatũ & multis reditibus donatum. Mortuus eſt a. ætatis XXXV. cum regnaſſet non integrum trienniũ: relicto filio triũ annorum cum ſemiſſe, cui nomen Iſmael, qui adhuc hodie vnà cum matre regina, vxore Abdelmeleci, Argeliæ educatur. Quod verò ad Muleium Mahametum, ipſius ex fratre nepotem attinet, is Abdelmelcco junior fuit, natus circiter XXIX. aut XXX. annos: mediocri ſtatura: corpore inualido, colore adeò nigro, vt à pleriſq; pro Mauro habitus ſit: præcipuè tum cum excandeſcebat. Ingenio erat peruerſo: nihil veri loquebatur: omnia ſubdolè & fictè agebat: armis

mis non delectabatur, sed (vt in omnibus prælijs ostendit) natura ignauus & effœminatus erat. Christianos verò tanto odio prosequebatur, vt à se captos fame aut nuditate enecaret. Quod si hoc bello, necessitate coactus, aliquam benevolentiæ in eos significationem dedit: id refragante animo & inuito quodammodo fecit, vt hos ad subeunda pro se pericula promptiores alacriores q; redderet.

Τῷ θεῷ δόξα.

EXPLICATIO QVORVNDAM VOCABVLORVM GEOGRAPHICORVM.

HISPANICA.

LVsitania regio est Hispaniæ, quæ secundum Ptolemæum habet à septentione Taraconensem Hispaniam, diuisam ab ea flumine Durio: ab occasu Oceanum occidentalem: à meridie Anam fluuium: ab ortu lineam ab Ana ad Durium ductam. Sed Strabo hanc regionem aliquanto maiorem facit: sicut nostra quoq; ætas. Portugallia autem hodie vocatur, quasi portus Galliæ. Lusitani enim origine Galli sunt. Eorum solertia factum est, vt ab Hispania in Indiam nostro tempore nauigetur.

Vlysbona Lusitaniæ ciuitas regia est: Ptolemæo Olyssippon, Plinio Olyssippo lib. 4. cap. 22. quam equarum è Fauonio vento conceptu nobilem vocat. Hodie dicitur Lysbona.

Conimbrica item Lusitaniæ oppidum, vt refert Plinius lib. 4. cap. 21.

Andalusia hodie vocatur regio inter Portugalliam & Granatam, quæ olim Turditania, postea à Vandalis Vandalia seu Vandalusia, & tandem Andalusia dicta est.

Gades hodie Calis, in capite Bæticæ insula est, vt Plinius libro 4. capite 22. Strabo libro tertio.

γάδειρα πορθμῷ στενῷ διειργομένη νῆσος ἄπὸ τῆς τουρδιτανίας.

Fretum Herculeum, hodie estrecho di Gibraltar: angustia maris inter Hispaniam & Africam. Plinius lib. 3. cap. 1. Terrarum orbis vniuersus in tres diuiditur partes, Europam, Asiam, Africam. Origo ab occasu solis & Gaditano freto, quà irrumpens Oceanus Atlanticus in maria interiora diffunditur. Hinc intranti dextra Africa est, læua Europa: inter has Asia est. Termini amnes, Tanais & Nilus. Quindecim millia passuum in longitudinem. Tam modico ore, tam immensa æquorum vastitas panditur: qua de causa limen interni maris multi eum locum appellauere. Proxima autem claustra montes faucibus vtrinq; impositi coërcent, Abila Africæ, Europæ Calpe, laborum Herculis metæ. Quam ob causam indigenæ columnas eius Dei vocant, creduntq; perfossas exclusa antea admisisse maria & rerum naturæ mutasse faciem. Meminit & Strabo libro 3. qui plura etiam de antiquo more columnas loco limitum ponendi refert. Vide prouerb. Ad Herculis columnas.

BARBARA.

Mauritania apud Ptolemæum in prima Africa tabula, duplex est, Tingitana & Cæsariensis. Tingitana ab occasu habet Oceanum occidentalem, ad septentrionem fretum Herculeum & Ibericum, ab ortu Mauritaniam Cæsariensem, à meridie Getuliam &

Libyam

Libyam interiorem. In hac Ptolemæus duos Atlantes constituit, maiorem & minorem. Est in ea principale oppidum Tingis, (hodie Tanger, Plinio Iulia traducta) & columna Herculis Alyba.

Barbaria hodie complectitur quatuor regna, Marocense, Fessanum, Tremissanum & Tunetanum.

Arzilla hodie dicitur ciuitas à Lusitanis capta, quæ secundum quosdam Antonio Zilis, Ptolemæo Zilia, Straboni Zelis est.

Argeliæ sæpè fit mentio in hac narratione, quæ qualis sit vrbs, an quæ vulgo Algierum dicitur, an alia, nescio. Reliqui nomen, quale in Gallico libro occurrit.

Atlas mons Mauritaniæ, hodie ab incolis Clarius vocatur: de quo Plinius lib. 5. Cap. 1. ad longum.

Tremissa hodie, olim secundum quosdam Ptolemæo Ptisciana.

Mecha vrbs est Arabiæ felicis, cum Mahumetis fano & sepulchro (quod singulis annis maxima virorum mulierumq; turba superstitionis ergo visitur) tum verò mercatu maximè celebris.

Fortunatæ insulæ veterib. dictæ hodie Canariæ vocantur. quæ omnibus nauibus in Indiam occidentalem euntibus, primam stationem præbent: à vicesimo septimo ad vicesimum nonum gradum ab æquinoctiali versus septentrionem sitæ. Earum prisca nomina sunt, Pluuialia siue Ombrios, Capraria, Niuaria, Canaria, Iunonia & eodem nomine proxima: sex tantum veteribus cognitæ: hodie septem numerantur:

tur: nimirum Gran-canarea, Teneriffe, Palma, Gomera, Ferreo, Lanzarotta & Forteuentura. Vide Plinium libro 6. capite 32. Pompon. Melam libro tertio, capite vndecimo. Solin. capite vigesimo, & Benzonem.

FACTI SPECIES
DE SVCCESSIONE IN REGNO PORTVGALLIÆ, COLLEGIO

Iurisconsultorum Gymnasij Patauini, ad consultandum transmissa.

EMANVEL Rex

- ISABELLA
  - PHILIPPVS rex Hispaniæ.
- IOHANNES III. Rex Portug.
  - Emanuel II.
    - SEBASTIANVS rex in Africa defunctus sine prole.
  - Maria vxor Philippi
    - Carolus defunctus sine prole.
- LVDOICVS.
  - ANTONIVS nothus.
- HENRICVS cardinalis rex modernus.
- ODOARDVS
  - Maria Parmæ
    - Reinucius Parmæ.
  - Catharina Bragentiæ.

Decessit

Decessit Emanuel Rex & pater relictis omnibus supradictis filijs, iuxta ordinem propositum natis, & nonnullis alijs prætermissis, qui cùm mortui sint sine prole, nec habeantur in consideratione; non faciunt partem nec controuersiam in præsenti discussione.

Eidem Emanueli successit in Regno Iohannes III. qui erat secundo genitus, propter Isabellam, quæ præcedebat in natiuitate, sed quia masculus, habuit regnum sine controuersia. tùm dicebatur primogenitus ex masculis.

Emanuel Secundus discessit viuo Iohanne rege, relicto ventre, ex quo Sebastianus, viuente Maria amita, habuit regnum. & discessit Maria, relicto Carolo, qui etiam viuente Sebastiano discessit sine prole.

Ludouicus discessit sine prole legitima, relicto Antonio filio naturali, qui velut incapax, non est assecutus regnum, sed illud adeptus est Henricus rex modernus, in defectu omnium masculorum & linearum seu descendentium, ipsum in natiuitate præcedentium.

Viuente Sebastiano rege defuncto, mortuus fuit Odoardus quintogenitus, secundum ordinem præpositum, relictis Maria principissa primogenita, & Catharina ducissa Bragantiæ secundogenita.

Viuente dicto Sebastiano discessit Maria Parmæ, relicto Raynutio Farnesio primogenito eius filio.

Prætendunt successionem, deficiente moderno Rege Henrico, Philippus Rex filius Isabellæ primogenitæ (quæ ab omnibus masculis descendentibus ab Ema-

Emanuele rege exclusa fuit) nec non filiæ fœminæ seu descendentes ab eis ex linea Odoardi masculi quintogeniti, qui defunctus fuit Viuo adhuc Sebastiano Rege.

QVÆRITVR?

Primò. An dicta linea Odoardi (quamuis in ea sint fœminæ) & in ea descendentes, præferatur filio ipsius Isabellæ, ab alijs masculis exclusæ: Vel potius filius Isabellæ succedere debeat?

Secundò. Posito quod linea Odoardi sit præferenda, Quis ex dicta linea in successione Regni sit potior? An Raynutius masculus descendens à Maria primogenita prædefuncta, viuente etiam Sebastiano rege: vel Catharina filia Odoardi secundo genita, & matertera dicti Raynutij?

FINIS.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1697650066/phys_0072

Libyam ... pac Ptolemæus duos Atlantes
constitui ... minorem. Est in ea principale
oppidum ... anger, Plinio Iulia traducta)
& colum ... lyba.

Bar ... omplectitur quatuor regna,
Marocen ... emissanum & Tunetanum.

Ar ... ur ciuitas à Lusitanis capta,
quæ secu ... Antonio Zilis, Ptolemæo Zi-
lia, Strab ...

Arg ... ntio in hac narratione, quæ
qualis sit ... vulgo Algierum dicitur, an
alia, nesci ... en, quale in Gallico libro oc-
currit.

Atl ... taniæ, hodie ab incolis Cla-
rius voca ... inius lib. 5. Cap. 1. ad lon-
gum.

Tren ... secundum quosdam Ptole-
mæo Ptis ...

Mec ... biæ felicis, cum Mahume-
tis fano ... od singulis annis maxima
virorum ... ba superstitionis ergo vi-
situr) tum ... maximè celebris.

Forti ... terib. dictæ hodie Canariæ
vocantur ... nauibus in Indiam occiden-
talem eun ... stationem præbent: à vice-
simo septi ... n nonum gradum ab æqui-
noctiali v ... em sitæ. Earum prisca no-
mina sunt ... Ombrios, Capraria, Niua-
ria, Canar ... odem nomine proxima: sex
tantum v ... : hodie septem numeran-
tur: